

— 456 —

rem quemcumque jure et justicia ibi non contigerit defraudari. Si vero preter hoc cives vel civem seu incolam et habitatorem civitatis predictæ, unum vel plures, semel vel sepius, quotiescumque etiam alibi citari, trahi, conveniri, judicari seu banniri contigerit, hoc totum et omnia exinde sequentia nullius decernimus esse vigoris, nullumque citatis, tractis, judicatis seu bannitis hujusmodi per talia volumus prejudicium ullo modo aut periculum generari. Quod si quis coram dicto sculteto adversus ipsos vel eorum aliquos seu aliquem accusationem dirigens, in jure, et justicia sua fuerit derelictus, is ulterius suam poterit deferre querelam, et alibi petere, sibi justitiam exhiberi. Hanc insuper antedictis viginti quatuor, nec non consilio et universitati de Friburg duximus gratiam et potestatem ex certa scientia concedendam, ut ipsi in eadem civitate Friburgensi vini et bladi, nec non aliarum rerum et mercium, consuetum ungelum instaurare, ponere et deponere libere possint, quando ipsis placitum, et juxta proprias conscientias et civitatis necessitates visum fuerit expedire, in quo eorum ordinationi neminem volumus contraire. Volumus etiam et de innata nobis clementia hoc imperiali edicto ex scientia certa statuimus, de plenitudine predictæ imperatorie potestatis, quod universa suburbia, sive preurbia sepredictæ civitatis in Friburg, tam illa videlicet, que jam actu fossatis et muris cincta, et civitati applicata seu conjuncta sunt, quam illa, que in posterum cingi, applicari et conjungi contingeret, omnibus juri- bus, libertatibus et bonis consuetudinibus inviolabiliter frui perpetuo debeant et gaudere, quibus antedicta antiqua civitas Friburgensis gaudere dinoscitur, et de quibus ei previdit nostra et divorum predeces- sorum nostrorum romanorum imperatorum et regum liberalitas generosa. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre majestatis infringere, aut